



PRÆLOQVIUM

I. N. D. D. P. F. ETS. S. A.



Voniam vitia & crimina tamdiu, quam
diu homines erunt, non cessabunt, nihil
ergo majus est, unde Deo sacrificium
offerri possit, quam si ordinetur id, ut
hi, qui in suam & aliorum perniciem
debachantur, cōpetenti compescan-
tur vigore *causa 23. quest. s.c. 44. in fin.* &
sicut in bello nunquam excubiæ sunt
remittendæ, ita quoque semper nobis, dum lucis hujus
usura frui licet, adversus vitia ac crimina dimicandum;
Excelsi quoque vereque generosi est animi, secundum
tria juris præcepta juvare alios, nocere nemini, prodesse
omnibus *arg. §. 3. Inst. de I. & I.* ad vitia faciles & pro-
clives emendare, coereere, decorum demonstrare si in ma-
lis confirmati fuerint, inde retrahere, nec laudem meren-
tur illi, qui dum vitia vident, se se fuga abducunt & lati-
bula quærunt: Quod cum & in subditis admodum impro-
bandum sit *arg. Levit. c. 5. v. 1. & Deuteronomii c. 17. 4.* Quam
maxime tamen Magistratus peccant, qui vitiis omni nisu
non resistunt, cumque ne tale quid in interitum totius rei-
publicæ contingat, non nisi illis Magistratus officium com-
mittendum, quam qui ob exploratam probitatem, pruden-
tiam

tiam & experientiam ac avaritiæ inimici deprehensi ad hoc electi sunt. Exod. 16. v. 21. Quæ cum ita sint, nemo puto inficias ibit, crimen barattariæ reipublicæ admodum perniciosum esse, quapropter dum illud plusquam frequens nostris temporibus animadverterim constitui, hanc materiam pro virili loco disputationis inauguralis enucleare, eamque publico Eruditorum examini subjicere: Ut vero eo commodius hoc fieri posse, methodum huic nobilissimæ reipublicæ perutili ac summe necessariæ materiæ pertractandæ adhibui juridicam quam Imperator in tractandis Institutis observavit §. fin. Inst. de I. N. G. & C. proponens sc. primo personas committentes crimen barattariæ, secundores, ob quas seu quarum intuitu personæ hoc crimen committunt, & tertio actiones, quibus crimen hoc commissum persequendum & coercendum. Te autem Benevole Lector, quisquis fueris, maximo oro opere, ut dissertationem hanc Academicam, chartaceum hoc munusculum eo suscipias vultu, quo quolibet literis bonæque menti ingenuitantes excipere dignaris: Faxit Ter Optimus DEUS, cuius singulare adjutorium in omnibus actionibus non minus, quam etiam in dissertatione hac conscribenda & adornanda sentio, ut quicquid hic operæ consignatum, immensam Dei gloriam magnificet, in cujusque vitio & crimine hoc haecenus commaculati emendationem æque ac patriæ emolummentum vergat nec non dilectissimi Domini mei parentis spem & desiderium adimpleat.

SECTIONIS PRIMÆ

TH. I.

Antequam igitur argumenti hujus dissertationis explanationem aggrediar, non abs rejudicavi, quid de vocabuli significatione & acceptione statuatur, præmitte-